104.

~~10~~. a.

S. D. Habes iam sex Pomponios à me proxime missos, uirorũ humanissime: Quanquàm Lucas ipse, ut binos duntaxat tibi darem uoluit. Caeterum, ut ingenue fatear, gratissima mihi fuit tua mea in Pomponio excudendo diligentiae commendatio. Nihil enĩ dubito, quin et alii multi, te laudatore, huiusmodi operam meã probaturi sint. Enimuero non parum dispendii hoc in opere patior: quoniã precium, quod Lucas pollicitus est, meis impensis respondere non potest. Nam inter nos conuentũ est prius, quàm exemplar utrunque offerebatur, adeo corruptum, ut nosti; ut multo maiores expensae atque coniiciebam, insumptae sint: quibus tamen parcere omnino nolui, ne minus ~~In~~eleganter, minusque castigate in multorũ manus prodirent tuae exactissimae uigiliae. Semper ergo ~~Ca~~ Cratandrum tui amantissimũ redama: omniaque illa quae potest amicitiae officia in te collaturum constanter tibi persuade. Vale. IX. Martii. AN. M D XX

And. Cratander.

D. Ioachimo Vadiano, apud
diuu Gallum Medico ex-
pertiss. doctissimoq. suo etc